

ribus, quid diceremus si posset fieri ut corporalibus oculis
animae pulcritudinem videremus. Nonne rideres omnia
haec quae ad exemplum decoris adducimus ex terrena
substantia ?. Quaeso ergo te, ne contemnamus tantam
10 beatitudinem, neque neglegamus pretiosum hunc the-
saurum qui intra nos est. Maxime cum facilis nobis redi-
tus esse possit et parvo labore reparari omne animae
decus. Ubi enim spem futurorum conceperis et amaveris,
statim redit anima ad pulcritudinem suam. Ait enim ille :
15 « Nam quod in praesenti est momentaneum et leve tribu-
lationis nostrae, supra modum, immensum et aeternum
pondus gloriae operatur nobis, non aspicientibus quae
videntur, sed quae non videntur. Quae enim viden-
tur, temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna. »
20 Quod si tribulationes leves appellat Paulus et faciles, pro
eo quod non ad haec quae videntur sed ad illa quae non
videntur aspicimus, quanto magis leve tibi erit et facile
desinere ab impudicitiae ponderibus foedis. Neque enim
nunc te ad illos labores invitamus et pericula aut ad illas
25 cotidianas mortes quas Apostoli perferebant, vel ad per-
secutiones illas et verbera aut vincula aut carceres aut ad
totius mundi theatrum aut famem aut nuditatem aut
vigilias multas aut pericula itinerum, naufragia maris,
pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex falsis
30 fratribus, atque illa omnia quae apostolici agones desu-
dant. Nihil horum nunc a te poscimus, sed illud tantum
rogamus ut turpissimam hanc servitutum derelinquas et